



II. Abtheilung: Mittheilungen.

Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum a die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746,

conscrip̄tae a P. Hieronymo Pez, Bibliothecario Mellicensi et a P. Vincentio Stauffer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

(Continuatio, vide fasc. I. h. ai. pg. 149—169.)

1^{ma} Novembris omnes copiae Gallicae, quae ab adventu Serenissimi Ducis Bavariae ad nostrum Monasterium erant, ad S. Hippolytum et in Sirling, post prandium per oppidum et extra perrexerunt versus Ornding, tum pedites tum equites, nulla circa nos castra figentes, sed solum in nostro Monasterio praesidium Gallicum erat circiter 40 militum, quos aluit nostrum Monasterium. Postea vero ex altera parte Danubii ascenderunt Tzaikistae in 5 vel 6 navibus armatis, et visis militibus Gallicis apud Danubium in suburbio oppidi nostri in ordine euntibus, trajecterunt Danubium versus augiam nostram, et ibidem e tormentis suis a media tertia pomeridiana usque ad mediam quartam ceperunt in Gallos transeuntes continuo iaculari, Galli autem hoc videntes ac terri partim e via regia ad montem partim per aquam, Melk dictam, transvadentes Tzaikistas aggressi eosdem tandem fugere per aquas compulere, et Galli in Monasterio existentes per fenestras nostrorum Alumnorum in fugientes sclopeta ejaculati sunt, ita ut tres globi in Bibliothecam nostram cum fractione fenestrarum ceciderint. Erat terribile audire Tzaikistarum e tormentis eiaculationem. Post vesp̄eras et placebo cantatum ecce novam et inexpectatam crucem Monasterii nostri! Gallorum enim turmae, ab Tzaikistis in furorem acti, petierunt primo unum e religiosis nostris pro procuratore, quibus cum obviasset D. Abbas cum humanitate nesciens, quid vellent, statim illum, jussu sui Ductoris

circumdantes violenter et ignominiose abduxerunt, positum in vili curru, vulgo ein Gerichtl, eumque comitati sunt nostri P. Jacobus Hueber, et F. Casparus Ebner, utpote periti linguae gallicae et D. Abbatis interpretes, ad Generalem Gallicum dictum Leuville, qui habebat suum Quatier in arce Pechlarensi. Huc adductus Abbas cum suis pernoctavit. Ingens propterea in toto Monasterio timor et dolor, cum nescirent omnes, quamdiu apud Generalem detinendus esset D. Abbas. Causa tam violentae abductionis fuit, quod Galli crederent, Dominum Abbatem colluisse cum Tzaikistis, et quod horum inopinatum adventum Gallis non satis tempestive prodidisset. Ille, cum per interpretes suos innocentiam suam declarasset, vix fidem invenit, jamque fere statutum ab ipsis fuit, ut Monasterium, et oppidum ab ipsis diriperetur et exureretur. Haec tota tragoedia publicis novis Viennensibus impressis nostrae Reginae jussu inserta fuit, et a me audita, cum legeretur in nostro solito discursu. Eodem die P. Prior submitit de nocte Staffetam Viennam ad P. Engelbertum, et hunc lamentabilem casum eidem intimavit. R. P. Romanus noster se quoque obtulit, iturum de nocte ad Serenissimum Ducem Bavariae hoc ipsum eidem expositurus, quem etiam P. Prior cum litteris ad Comitem de Preysing, supremum Bavariae Camerarium, ablegavit. Hic P. Romanus Mellicii Danubium transiens, usque in Seissenstein, inde Posta in Kemelbach accepta, Lincium cum litteris perexit.

2^{da} Novembris hora 8^{va} omnes ad Prioratum convocavit P. Prior, cum omnibus deliberaturus, qua via redimi posset D. Abbas ex captivitate, censuitque die Veneris ieiunium in prandio cum pane et aqua, ad coenam vero calido cibo transigendum, item per diem horas precatórias coram SS. Sacramento et processionem instituendam. Demum quantacumque summa peccuniaria, etiam monilibus pretiosis oppignoratis et traditis, D. Abbatem redimendum. Id, quod omnes approbant. Finito divino officio, cum commemoratio omnium fidelium animarum tunc esset, exeuntibus nobis ex ecclesia, occurrit servus D. Abbatis nuntians nobis D. Abbatem cum duobus suis supradictis religiosis ad Monasterium salvos rediisse. Id, quod omnes summo gaudio affectit. D. Abbas solus in Abbatia cibum sumpsit, alia secum tractans, et ut illico Viennam ea die scriberet. Eadem die, cum integrum Officium Defunctorum recitarem, animadversum est e fenestris ecclesiae certum fuisse incendium. Quare plerique abrupto Officio ex ecclesia cucurrere, hortante nos Priore, ut maneremus et Officium abolveremus; putabatur enim in Monasterio fuisse incendium, id, quod maximo pavore omnes percudit, postea vero compertum fuit, domunculas aliquot oppidi in suburbio penes Danubium occidentem versus incendio conflagrasse, et tempestive incendium fuisse extinctum cura accurrentium multorum oppidanorum, et etiam e nostris Religiosis P. Reinero et Maximiliano. Ingens laetitia ob id orta, et gratiae Deo actae, quod non totum oppidum et Monasterium flammis correptum fuerit. Creditum est, dass dieses Feuer von schlimmen Leuten sei gelegt worden. Eodem die

redeuntibus ad oppidum Tzaikistis in suburbio oppidi ego et plures e nostris locuti sumus, erant numero circiter 7 vel 8 armati, et viatores examinantes.

3^{tin} Novembris noster P. Jacobus Hueber, qui cum D. Abbate a Generali Leuville Gallico Mellicium dimissus fuit, ad eundem solus redire debuit; cum hac tantum conditione abire permissus fuerit, ut iterum se sistat dicto Generali, ad eundem mandata D. Abbatis circa negotium liberae dimissionis perferens. Unus e servis D. Abbatis, nomine Joannes, D. Abbatem a militibus abductum comitatus est, et apud eum usque ad reditum permansit fideliter. Retulit mihi P. Jacobus, totum fere exercitum Gallicum, per quem cum Abbate traductus fuit, hoc factum improbasse, et doluisse, imo et ipsum Generalem, sed solum ductorem militum D. Abbatem captivantium fuisse hujus rei causam ob suam in Abbatem iram et furorem. Eadem die, cum plurimi crederent, liberato jam Abbate loco operum pro ejus liberatione a P. Priore cum consensu capituli institutorum „Te Deum laudamus“ saltem post Missam cantatam celebrandum, omnia illa praedicta opera bona Deo dante executi sumus, nullo habito, Te Deum laudamus. Ipse D. Abbas in mensa communi ante meridiem panem et aquam sumpsit. Eodem die noster Praefectus aulae Viennensis P. Urbanus ad monasterium venit, credo ob putatam adhuc detentionem D. Abbatis, et secum attulit litteras Amaliae Imperatricis viduae, cui captivatio D. Abbatis nostri notificata fuit, ad Serenissimum Ducem Bavariae scriptas pro liberatione dicti nostri Abbatis, qui tamen, ut supra dictum, libertate donatus iam erat. Hae litterae commissae sunt nostro F. Jacobo, ut eas Duci Bavariae praesentet. Tzaikistae heri apud Weitteneck noctu in navibus, accensis ignibus, morati sunt. Narratum quoque pro certo apud oppidum S. Leonardi visos Bazzios seu Hussaros ad 1500, insidiantes Gallis. Hussari recuperatis Cremsio et S. Hippolyto ceterisque locis usque ad Poechlarn, quae a Gallis deserta fuere, Cremsii insignem quemdam Gallicum, Praefectum militum, ceteris insolentiozem, cepere. Galli quoque in reditu passim vicos et oppida diripere, magis suo libitu praedandi, quam jussu Praefectorum, qui et unum e suis praedatorem et a rusticis in Scholach, vico prope Schalenburg, vulneratum in pede suspendere, uti audivi. Lanionem quoque in Mauer, cujus domum spoliaverunt Galli, rogantem sibi reddi unum cantharum, in quo vetus pecunia erat, sclopeto occiderunt. In Gerolding etiam quidam incolae sclopetis petierunt Gallos milites, ex quo versi in furorem domum parochialem et spoliaverunt et incenderunt, ut loci parochus ipse mihi narravit. Eodem die post quintam horam in Prioratum convocatis omnibus D. Abbas gratias egit Conventui nostro, quod pro ejus liberatione supradictam devotionem instituerit, eidem publice narravit, quanta passus sit in illa violenta captivitate, tum in Monasterio, tum in aere Poechlariensi. Idem addidit, se cum P. Jacobo persuadere non potuisse innocentiam suam Generali de Leuville, ejusque officialibus, etiamsi flexis genibus ab eodem gratiam et remissionem

exactionis pecuniariae petierit. Narravit insuper sibi suspendium fuisse minitatum, item a quodam domestico Poechhariensi sibi dictum, decretum fuisse et Monasterii et oppidi Mellicensis direptionem ac incendium, nisi consentiret petitioni Generalis de persolvenda pecunia, cui tandem ex metu gravi consensum praebuerit, nimirum ad 20.000 florenorum. Idem D. Abbas retulit nobis, Officiale illum, qui militibus imperavit comprehensionem D. Abbatis, fuisse Anglum natione, et hominem haeticum. Paulo ante introitum nostrum in Prioratum advenit salvus noster P. Romanus Linzio (quo cum litteris ad Serenissimum Ducem Bavariae ratione liberandi Abbatis nostri missus erat) reversus, qui publice coram Abbate in Prioratu exposuit, Serenissimum Ducem Bavariae aegerrime accepisse, et vix credere nostri D. Abbatis captivationem, ac dixisse, Generalem de Leuville nihil pecuniarum a nobis posse extorquere, eo quod ipsi Duci per datum mutuum plene satisfecerimus. Addidit Dux, Viennae se male auditurum, tamquam tyrannisaret, si fama ibi de captivitate nostri Abbatis percrebuerit, quasi ipsius jussu facta, laudavitque, se cum multa humanitate in nostro Monasterio saepius exceptum. Hoc nuntio omnes audientes, Deo gratiis actis, multum recreati fuimus, deinceps expectaturi, quid facturus sit Generalis Gallicus de Leuville, et rediturus ab eo noster P. Jacobus, obses apud eum. Idem P. Romanus narravit, obsidibus, scilicet Jesuitae Cremensi et Camerario Tirnsteinensi, concessum fuisse, Ensii in Ecclesia celebrare Missam, sed praesentibus militibus custodibus, cum aufgesteckten Bajonneten, in publica ecclesia.

4^{ta} Novembris abiit Viennam noster D. Abbas, Nuncio Apostolico Pauluccio, Reginae, et Comiti Kevenhilller urbis commendanti narraturus, ut ipse nobis dixit se facturum, suam a Gallis captivationem. Eodem die ex altera parte Danubii prope Emerstorf 3 vel 4 naves onustae militibus Hungaricis, quos Panduros vocant, numero fere 300, transierunt in Austriam superiorem abeuntes, ferunt eos hoc anno in Silesia adversus Porussos militasse. Eodem die ultra mille Rasciorum Mellicium venire; et extra oppidum castra metati sunt, magnam disciplinam militarem observantes, et certo majorem, quam a Gallis factum, 5 eorum in Bibliothecam venire, non tamen per noctem in Monasterio manserunt, inter eos unus insignis, nomine Menzl, qui altera die cum pluribus aliis apud nos pransit, quo politiore militem nunquam se vidisse affirmavit P. Prior. Nobilis ille Rascius senex captus, cujus ad diem 16. Octobris memini, libertate donatus fuit cum aliis pluribus Hussaris a Duce Bavariae, et transiens Mellicio curavit nobis gratias agi pro collatis in se beneficiis. Idem senex Rascius saepius tentavit fugere, et propterea equo dimisso curru impositus semper sequi debuit Ducem Bavariae in itinere.

5^{ta} Novembris pransere apud nos, ut dixi, plures Officiales Rascii ascensuri cum aliis pluribus militibus, tum Hungaris, tum Germanis, in Austriam superiorem, eam rursus Bavaris erepturi, quorum quidam narravit nostro P. Maximiliano utpote praesens, qui gesta sit prima veltatio Hussarorum cum Gallis prope Ror, ut supra notavi. Eadem die

Rascii, duce Menzl, qui primum insecuti sunt Gallos, numero hostium superati se retraxere, maxime cum non fuissent a milite pedestri sustentati. Vellitatio haec cum Gallis accidit in loco Kolm dicto, ubi Galli Rascios adventuros e spionibus ipsorum sciebant, et ideo in acie parati stabant, quod Rascii videntes, fugam dedere. Tzaikistae in secundo reditu ad Weitenegg valde modeste et disciplinate se gesserunt propterea, quod accusati ob excessus ibi et alibi commissos, severam a bellico commissariatu reprehensionem acceperint, cum tota communitas Weitteneggensis ea de re testimonium mittere debuerit, ut mihi propinquus meus, D. Jager, qui multas ab iis molestias pertulit, coram exposuit.

Dicti Tzaikistae Weitteneggio abeuntes sursum versus cum navibus suis ascenderunt. Eodem die in impressis novis Viennensibus relatum fuit, qualiter 3 Praesules cum aliis religiosis et Praefectis arcium violenter a Gallis capti, et in custodiam dati fuerint, specialiter longa relatio inserta fuit, quanta passum sit ab iis Monasterium Campillienae et oppidum Willhelmspurgense, praesertim quod dare debuerit praeter foenum et avenam et ultro centum boves, 20.000 florenorum, et quod milites Monasterium violenter ingressi sint. Vide de his plura in novis Viennensibus.

De calamitate Monasterio Campillienae a Gallis illata haec certissima perscripsit ejusdem loci religiosus Fr. Henricus Stadler parenti suo, et mercatori Mellicensi, a me ex ipsius litteris hic excerpta, quae postea mihi ipse P. Camerarius ore tenus confirmavit. Futterey und Geld haben wir ihnen geben müssen, nachdem in's Kloster von ihnen bei 40 Mann angekommen, und mit ihnen (weil der Herr Prälat sich vorher auf Bitten seiner Geistlichen weiter ins Gebirg hinein reterirt) abgeholt als obsides P. Priorem Conradum, Patrem Camerarium Vitalem et Clericum F. Fomianum, gallice peritum, bis nach St. Pölten, Habern 36.700 Aehtl, Heu 36.700 Bundt, Stroh 36.700 Schab. In Geld 26.003 fl. Item Ochsen in natura 158 Stück. Addidit praedictus Henricus in litteris: Was das ärgste war, sind wir alle Stund und Augenblick nicht sicher gewesen, ob sie nicht werden plündern kommen, welches auch gewiss geschehen wäre, so nicht unsere Hussaren zu St. Pölten ihnen hätten ein Confusion verursacht.

Die 7^{ma} Novembris, ut puto, Hussari Mellicium venere, quorum praecipuus Officialis locumtenens homo politus ac civilis, latine et germanice gnarus, mecum aliisque confratribus meis, ex Aigen vesperi venientibus, die, qua in coena foris comedit, et multa de rebus militaribus maxime, quae sub Generali eorum Palfio, hoste Austriam nostram ingresso, acciderant, retulit. Iidem Hussari ac Rascii probe usi sunt Magazino, quod reliquerant hostes hic Mellicii extra oppidum.

Die 9^{ma} Novembris P. Engelbertus noster scripsit Vienna ad nostrum P. Priorem, Dominum Abbatem nostrum Viennae feliciter appulisse, de consilio Medicorum sibi venam aperiri curasse ob terrores et pavores, e sua comprehensione acceptos. Praeterea P. Jacobum nostrum,

obsidem, D. Abbati scripsisse, postulatum pecuniarium, de quo supra, annitente Serenissimo Duce Bavariae fuisse annullatum, quod magno cum gaudio accepimus, cum P. Prior dictas litteras legi coram nobis voluerit, ac dictum P. Jacobum propediem Melicium rediturum.

Die 10^{ma} Novembris venit ad me civis et mercator noster Stadler, et deposita apud me in Bibliotheca scripta sua repetiit, quae et ipsi fideliter tradidi. Idem mihi narravit, Panduros Ipsii jam per aliquot dies morari et habere Frei Quatier, et eos ab hospitibus suis des Tags 2mahl Brattenes Fleisch exigere, id quod affinis meus et caupo in Ips, Georgius Edlinger, ipsi narravit, qui etiam quosdam Panduros in hospitio suo habet. Item Ensii in Austria superiori magnam hominum fugam factam ob metum Hussarorum et Rasciorum et Pandurorum, quodque rustici in Austria pessime cum statu suo essent contenti, id quod nostris militibus eo ascensuris adiuventum maximum faciet. Eadem die Panduri omnes ductore eorum Trenkio et numero fere 200, et quod excedit, in navibus Ipsio per Danubium descenderunt in Spiz, et ibidem aliquantum substitere.

Die 11^{ma} Novembris omnia cochlearia argentea cum scyphis deauratis primum apposita fuere in mensa, cum antea loco scyphorum tantum vitra, et loco cochlearium argenteorum (excepta pro tempore aliquo tantum mensa prima) cornea fuerint apposita. Etiam locumtenens Hussarorum hujatium cum uno Proviant-Meister in mensa regulari nobiscum pranserunt.

Die 12^{ma} minime celebratum in mensa festum S. Martini, ut alias moris erat, sed erat mensa ordinaria sicut in Dominica die, factum id forte, quia altera die nempe 13. incidit festum omnium Sanctorum Ordinis nostri.

13^{ta} festo omnium SS. Ordinis nostri sub noctem advenit tandem salvus et incolumis noster P. Jacobus ex Austria superiori, et Ducem Bavariae in Freystadt existentem ac pergentem in Bohemiam cum exercitu suo invenit, eique litteras Imperatricis Amaliae consignavit. Eadem die alias consuetum festum S. Martini egimus in mensa, sed cum imminutione unius alteriusque cibi.

14^{ta} nihil novi comperi, ut et die sequenti.

16^{ta} capti sunt a nostris militibus duo exploratores Bavarici, qui inter cetera edixerunt, se missos, ut viderent, quantum militum in Austria inferiori esset, et Gallos cogitare hyberna facere in terra nostra. Post prandium Panduri Mellicense oppidum intravere nobis ab exitu redeuntibus, unum eorum cominus ipse spectavi, qui, uti ceteri, cappam, cultros in sinu, frameam ad latus, uti et duo Pistollen, et unum sclopetum gestavere, in dorso pallium rubrum, horribiles aspectu homines, numero fere 200, quibus imperabat liber Baro de Trenk, quos ipse ad partes superiores Austriae ducebat. Hac ipsa die quidam Capitain Lieutenant apud Rascios nomine Josephus Kiesling a me petiit sibi ostendi Bibliothecam, peritus linguae germanicae optime et latinae, homo juvenis qui

in Silesiaco bello hoc anno 13 vulnera accepit, et ab ipsis captus, ac postea liber dimissus fuit. Eadem die litterae ad P. Priorem Vienna venire, quibus P. Engelbertus noster ei nuntiavit, Mareschallum de Leuville, cujus jussu captus est noster Abbas, eidem Abbati nostro humanissimas scripsisse litteras, in quibus promisit se illi proxime remissurum obligationem a se extortam per 20.000 florenorum solventorum, quam remissionem procuraverat Serenissimus Dux Bavariae. Item eadem die per Baronem de Trenk et Panduros in oppido nostro vulgatum fuit, Bavaros apud Zwetl Bohemiam ingressos ante dies aliquot rursus in Austriam redituros, quae res omnes magnopere consternavit, quem rumorem falsum fuisse eventus postea probavit. In novis Viennensibus et privatis litteris relatum fuit, apud Bilgram urbeculam Bohemiae a nostris Hussaris 800 hostium partim caesos, partim captos fuisse, et Magnum Ducem Tusciae in Moraviam ac Bohemiam profectum, nosque ibidem habere exercitum 30.000 militum.

17. Novembris. Rursus ad Monasterium venit locumtenens D. Menzl cum aliis Officialibus, et cum iis consilium habuit in Monasterio, non tamen apud coenam cum iis permansit. Unus ex his Officialibus, P. Priore ducente, ad Bibliothecam venit. Porro mane sursum abiit Panduri bona disciplina observata, bonam tamen mensam sibi parari ab hospitibus suis petebant, et cuidam civi nostro res 4 fl. constantes in instrumentis opificis (cum fuerit ein Schlosser et Büchsenmacher) unus eorum abstulit.

18^{va} noster P. Jacobus accepit a Domino Abbatenostro litteras, quibus ipsi nuntiavit, Generalem Gallicum de Leuville sibi humanissimas litteras Viennam scripsisse, et promisisse, se redditurum syngrapham obligatoriam, quam in Poechlarn captivus subscribere debuit, et ut unum e religiosis suis Lincium mittat, cui hanc syngrapham consignet. Scripsit autem D. Abbas P. Jacobo posse illum Lincium petere, si vellet, nec tamen iubere. In adjecta vero schedula testatus est, sibi gratum fore, si ipse P. Jacobus ad dictum Generalem Lincium pergeret. Id quod executus P. Jacobus, hae ipsa die postae se committens. E praesentia ducis Leuville Lincii conjecimus, rumorem verum esse, quod Galli cum Duce Bavariae e Bohemia re infecta reversi fuerint, qua autem de causa, alias rescietur.

Die 19^{na} Mellicium venerunt 150 Dragoner ex legionibus Kevenhiller et Eugeniana, hi sufficiens foenum et avenam e Magazino, quod Galli reliquerant Mellicii acceperunt, eorum 50 die insequente abierunt sursum, reliqui centum hic manserunt Hussari numero 30 duce locumtenente, qui in oppido ultra 8 dies morati sunt, etiam hodie recesserunt sursum. Advenientes illi 150 milites repente jussi sunt, huc ascendere, abque omni praevia intimatione alias solita. Eodem die Abbas in Seitstetten hinc Viennam transit, petiturus milites, pro defensione Austriae nostrae, a qua Galli mille boum per modum contributionis exegerant. Hujus Abbatis religiosus et parochus in Aspach, Ambrosius Bruckmayr,

Mellicii narravit eventum nostrorum militum, volentium urbem Styrensem occupare, ex antea habitis consiliis, sed ea hostibus fuisse prodita, et urbem hanc 3 millibus Gallorum munitam propterea fuisse, sique conatum fuisse irritum. Item in novis Viennensibus impressis nuntiatum, nostros Hussaros in urbe Bohemica, Neuhaus dicta, quam invaserant, Bavarorum 400 ita inclusisse, quasi captivos proxime, quod et factum, ut infra patebit.

Die 20^{ma} milites heri adventantes nuntiarunt iam primas turmas militum nostrorum ex Italia venientium Viennam appulisse, quos proxime insecutus est Princeps Hildburgshausen, totius exercitus hujus Italici, constantis ex 15.000 militibus, dux, cum quibus in Austriam superiorem, et per eam Bavariam ingressurus est.

Die 25^{ta} Novembris noster P. Prior litteras accepit a nostro P. Jacobo Lincii scriptas 23. Novembris, quibus P. Priori haec scribit inter cetera, Marschallum Leuille se nec potuisse, nec voluisse in itinere assequi, ut syngrapham ab Abbate nostro datam ab eo acciperet, cum Lincii nesciretur, ubinam dictus Leuille in praesens agat. Praeterea hunc Generalem a reliquo exercitu Gallico, interclusum esse, ipsumque etiam Ducem Bavariae in arce Frauenberg haud procul urbe Budweis a 5000 Hussaris nostris regiis inclusum et circumsessum, uti relationes omnes concorditer asserunt. Item per nuntium civitatis Lincensis se voluisse D. Abbatis litteras dicto Leuille acclusas, et suas transmittere, ipsique demonstrare, in his circumstantiis fieri non posse, ut religiosus e nostris ad ipsum veniat in persona. Verum cum a Generali Segur, Gallo et urbis Lincensis commendante litteras pro libero transitu nuntii petiisset, id ab eo impetrare non potuisse, ipsumque commendantem dixisse P. Jacobo, ut si quid haberet, quod ad Leuille dirigendum esset, sibi committeret, quod et fecit P. Jacobus, sed tantum suas litteras ei committendo, non vero D. Abbatis litteras ad ipsum Ducem Bavariae scriptas, quas adhibito etiam aliorum consilio nec dum eo mittere potuit, propterea, quia neque cursor publicus nec Staffeta Bohemiam intrare possunt. Item Freystadium urbem a Gallis desertam et, ut fertur, a nostris militibus occupatam. Item 22. Novembris 30 Gallos e Bertholz Lincium rediisse, quorum tantum 10 in equis erant, reliquos omnes periisse. Haec exerpsi ex litteris P. Jacobi nostri.

Die 28^{va} Novembris rursus Mellicium milites Eugeniani circiter 150 venerunt, et plane stabulum nostrum in Mayrhof pro eorum equis cedendum erat, et insolentes milites petierunt a P. Priore panem et vinum, quod et ipsis dedit. Insuper quidam Officialium ipsum stabulum Monasterii petiit sibi ostendi, pro locandis in eo equis, quod similiter ipsis concessum fuit eo, quod in oppido sufficientia stabula non fuerint. Eodem die accepi a P. Placido nostro relationem ingressus Ducis Bavariae in Austriam superiorem atque inferiorem, gallice scriptam, quam adhibui ad concinnandas has ephemerides. Praesidia ex militibus nostris constanter erant in Novembri in Blindenmarkt, Amstetten, Weidhofen, et Ulmerfeld (ex quibus

duobus locis postremis milites Bavarici et Gallici a nostris vi ejecti fuere) Strenberg, et Walsee aliisque locis Austriae superiori vicinis, erantque hos inter Banduri, Rascii, Hussari et equites desultorii e regionibus Eugeniano et Kevenhilleriano, nuntiatumque fuit, plures semper et plures praesertim ex Italia, in Austriam nostram venturos, et per Austriam superiorem in Bavariam penetraturos. Per hos dies Tzaikistae in civitate Grein morati sunt, et loci Iudicem nolentem dare ipsis, quod petierunt, catenis vinctum Viennam misere una cum sclopetis et Doppelhagen, pulvere nitro, aliisque.

1. Decembris collocati sunt in Monasterio nostro multi milites gregarii ad 70, exemplo inaudito, quod nostris militibus tale domicilium assignatum fuerit, datum illis panis et vinum et caro, manserunt hic usque ad diem nonam, et sub ejus noctem circa primam horam subito omnes, cum iis, qui in oppido iacebant, magna celeritate hinc abierunt ad partes superiores. Venerunt quoque equites cataphracti legionis Lusitanicae, sursum in Austriam superiorem pergentes.

4^{ta} Die Decembris nostri tres PP. Mellicenses, Ambrosius, Martinus et Aemilianus a D. Abbate nostro revocati ex Styria, scilicet primus e Cellis Marianis, reliqui duo e Monasterio S. Lamberti, Mellicium salvi redierunt, Fratre Melchiore ibidem ad proseguenda sua studia remanente.

10. Decembris noster P. Franciscus parochus in oppido Mellicensi litteras accepit a P. Xaverio, Franciscano, et Patre Castrensi in exercitu Gallorum, qui in primo eorum ad nos adventu apud dictum nostrum P. Franciscum hospitium habuit, scriptas e Pilsen, urbe Bohemiae, die 24. Novembris, quibus illi gratias agit pro collatis in se beneficiis, praesertim pro cappa pellicia sibi donata, simulque nuntiat, se apud PP. Dominicanos Pilsenses hospitari, apud quos hospitale Gallicum pro infirmis ipsorum erectum fuit, quibus jussus est inservire, quorum infirmorum fere quotidie aliqui moriuntur, novique succedunt, rogans P. Francisci preces, ut hoc munere digne fungatur. Addidit, Gallos ibidem longe inhumanius agere cum Bohemis, quam Mellicii cum Austriacis, eo quod Bohemi Gallos omnino nolint, quos tamen debent.

11. Post prandium in Monasterium nostrum, me quoque vidente, ingressa est cohors militum desulteriorum legionis Sabaudicae, antea Eugeniana, apud nos hospitium acceptura. In oppido vero cohors ejusdem legionis, vulgo Grenadiers, hospitati sunt, quae ambae ex Amstetten redierunt, et rogatus unus ex ipsis respondit, se nihil ibidem amplius invenisse unde viverent, sique causam reditus sui fuisse inopiam victualium, cum ibidem iam alii milites existerent. Hodie excerpti litteras a quodam viro dicto Trunzer, consanguineo nostri P. Julii, ad eundem datas 22. Novembris de adventu Gallorum in Pertholz, qui ita se habuit: Die 17. Novembris subito fere 300 Galli, plerique equites desultorii, in Bertholz venere, quorum fere 100 equi apud domum parentis nostri P. Julii substitere, reliqui Officiales arcem loci occuparunt, abque ulla inhumanitatis nota. Sub noctem intra primam et secundam horam fere

ducenti nostri Hussari e Neuhaus venientes in Bertholz venire, qui statim equos in domo seu stabulo praedicti viri solvere, custodes pepulere, et per fenestras domus undique iaculati sunt. Galli vero numero fere 20 sclopetis quoque Hussaros summa furia impetiere, occisis equis aliquot Hussarorum. Postea Hussari arcem petunt, unde Galli eorum duos interemere, postea Hussari totam arcem in cineres redigunt, nihil omnino rerum in ea existentium remanente. Hinc Galli compulsi ablati eorum curribus, et impedimentis et igne absuntis praeter unicum currum plenum pulveribus et plumbo ad ecclesiam et coemeterium loci fugientes ab Hungaris denuo iaculando acerrime appetuntur, egregie se contra defendentes. Postquam Hussari omnes hos pulveres nitrios absumserunt duodecima hora post prandium in Weitra reversi sunt, vociferantibus post eos ignominiose Gallis, num animum non haberent, cum ipsis diutius pugnandi, sese adhuc pulveribus ad plures dies provisos. Postea Galli eodem die, hora 2. pomeridiana a loco discesserunt Freystadium civitatem petentes. In hoc conflictu e nostris Hussaris duo occisi; de vulneratis nil certum; Gallorum vero tres occubere, quibusdam sauciatis, occisis quoque 24 equis. De his tantum 30 Galli viventes Lincium rediere, ut supra habes ex relatione P. Jacobi.

12. Decembris de nostro exercitu in Bohemia, quam adiisse Magnum Ducem Tusciae, maritum Reginae nostrae, supra notavi, diu nil certi rescitum, quid agat, id solum e novis Viennensibus constabat, hostes Pragam ante occupasse, quam exercitus noster ad eam urbem pervenerit, morae et tarditatis tantae causam fuisse dictum est a fide dignis, uno etiam milite huiate, cui ab exercitu nostro huc scriptum fuit, quod dictus Dux Lotharingiae in ipso itinere saepius venationi indulserit, quod plane indignum, et tempore alienissimo factum, ubi hostes sine intermissione regnum Bohemiae invadere et occupare irremisse conabantur. Hoc factum mihi etiam narravit et addidit, Comitem Neuberghum dicto Magno Duci Tusciae recreationem 5 dierum instituisse, quo tempore interea Praga capta est ab hostibus. Sub vesperam hujus diei mihi P. Reinerus noster narravit ex ore D. P. Prioris Gemnicensis, qui Vienna e Comitibus Provincialibus redierat, et apud nos divertit, Principem Lobkowitz, qui legiones aliquot in Bohemia contra hostes duxerat, esse male contentum et officium suum velle deponere, neque ei cum Duce Lotharingiae, neque cum Comite Neubergho totius exercitus Duce, bene convenire, quibus etiam in faciem dixit, se non posse ferre, quae contra Reginae interesse fiunt, et ideo, quia non auditur, illum officium suum velle deponere, ne gravet conscientiam suam. Quod et alias de aliis nostris Generalibus cum eodem Comite Neubergho itidem discordantibus, et non contentis audivi. Ecce! quid mirum, si nostri milites nullos progressus in hostes faciunt, et ubique Austriaci cedant, et recedere cogantur. Idem P. Prior retulit, Regnam ab ipso et aliis praelatis, qui nihil ab hostibus passi sunt, petere denuo mutuum, ein Darlehen. Item Regnam a Summo Pontifice monitam, ut ineat pacem cum hostibus suis,

et acceptet partitionem terrarum suarum ab ipsis factam, alioquin ipsam nihil de suis habituram, et omnia amissuram. Eodem die mane milites omnes, qui heri huc venere, ad S. Hippolytum discessere, tormenta bellica sursum ducenda contra Gallos, ut fama erat deducturi. Eodem die mane ad oppidum ducti sunt Galli 12, 5 Officiales et ein Paucker, omnes desertores. Item eodem die in secunda mensa erant apud nos duo Praefecti annonae militaris, quibus ego, in eadem mensa existens, locutus sum, quorum unus mihi dixit, erigenda in Ips et Weidhofen duo Magazina, ad quae jam ingens vis farinae, avenae aliarumque rerum perducta est ex Magazino Viennensi per aquam, et adhuc quotidie adducuntur. Item mihi affirmavit, esse pontem navalem apud Steinium a nostris erectum, super quem ipse perrexit; hic pons iam in Novembri constructus fuit. NB. Jam a multo tempore post incursum hostilem nullum piscem extraordinarium in festis primae et secundae Classis habuimus, imo in diebus esurialibus plerumque tantum pisces viles uti Lauben et Noesling, propterea, quod P. oeconomus Leopoldus non fecerit in tempore sufficientem provisionem, et postea in Bohemia exortum sit bellum.

13^{ta} Decembris praeclarus ille heros Menzel, dux Rasciorum, et acerrimus defensor Reginae nostrae contra ejus hostes per quemdam hominem Styrensem ingentem globum ferreum, ponderantem 18 libras, qui e tormento ex Anaso urbe explosus fuit contra illum ejusque milites a Gallis, ipso tamen illaeso nostro Patri Priori ad monasterium misit, petens ut in rei memoriam asservetur in nostra Bibliotheca, quod et factum est. Idem Menzl ad terrendos tantum Gallos in Ens existentes e duobus tormentis ferreis iaculatus est in urbem, quae accepit e Monasterio Seittenstettensi, ut audivi, sed postquam a suis Rasciis fugientibus desertis hostibus cedere debuit. Porro allator globi praedicti hic narravit, a quodam venatore comite Menzlii unum e praecipuis Gallis globo trajectum interiisse. Idem Menzl in alia occasione cum usque ad vallum hostium in Ensdorf e regione Ensii erectum accessisset, suis Rasciis animum facturum, globo et sclopeto militis Gallici vulneratus in manu fuit. Eodem Linzio feliciter rediit P. Jacobus noster.

15^{ta} die Decembris venerunt Mellicium cohortes e legione Preysingana equitum desulteriorum, e cujus uni ipse in Monasterio locutus fui, qui cum aliis voluit videre Monasterium, mihi quae dixit, ipsos venisse e Walachia, et ire in Austriam superiorem.

16^{ta} venit ex eadem legione supremus tribunus vulgo der Obriste ad Monasterium, et in sacristia ob frigus Missam audivit, capellano suo celebrante, qui postea a P. Priore per ecclesiam et Bibliothecam ductus apud nos pransit. Auditum etiam, iam multos milites nostros ex Italia speratos etiam in Weidhofen ad Ipsam advenisse, quibus omnibus adiunctis Comes de Kevenhiller en Chef praefuturus sit contra Gallos et Bavaros in Austria superiori et Bavaria.

17^{ma}. Hodie primum fluere visa est glacies super Danubium, campis in vicinia apertis et sine nive, sed sola juga montium nive pauca conspersa fuere visa, adhuc durante tanto iam tempore tempestate serena. NB. In hoc mense Decembri arcem Schoenbichlensem nequam homines, hucusque incogniti, per scalas invadunt, et reconditas ibidem res pretiosas ob invasionem hostilem depraedantur, ad quemdam Praefectum in Efferding pertinentes. Fures fuerunt 6, omnes subditi Domini Hoheneggensis in nostra vicinia, et fuerunt capti ab ejus arcis praefecto, qui apud eos phialas, crateres et vasa argentea, et horologia pretiosa, cum peccuniis valde antiquis ad multorum millium pretium invenit, et eos postea inclusit. Haec omnia narravit arcis Praefectus.

21. die Decembris venit ad Monasterium per postam Excellentissimus Dominus Comes a Kevenhiller, urbis Viennensis contra Gallo-Bavaricam intentatam obsidionem Viennensem commendans, et Praeses unius de suo nomine dictae legionis, et pransit apud nos. Eodem die scilicet S. Thomae Apostoli nostro D. Abbate Vienna adveniente cohors Grenadirorum bene vestitorum et praeclarorum hominum illi Monasterium intranti servitium suum seu obsequium militare me vidente praestitit. Cum dicto Comite et alii Generales huc venerunt, quorum nomina sunt Palfi, Wurmbbrand etc. omnes cum eodem versus Austriam superiorem ascendentes contra Gallos et Bavaros. Adducta quoque instrumenta pro fabricando ponte navali, et magna vis annonae per currus pro militibus. Narratum mihi eadem die a nostro P. Priore fuit, hac ipsa die 700 equites Mellicium venturos, quorum magna pars equos suos in Monasterio hoc et praedio collocabit, uti et in oppido. Item pons navalis cum anchoris per terram advectus Mellicium advenit propediem sursum vehendus. Eodem die 21. praedictus Comes a Kevenhiller post vespas cum D. Abbate aliisque comitibus suis ad Bibliothecam venit, et lustravit diligenter libros, cui et ego tum de Gallis, tum de libris et deductione Bavarica multa sum locutus. Is inter cetera de deductione loquens dixit, exercitus 100.000 omnem controversiam decideret, cui ego assensi. Hic Comes valde comis et humanus est, et paucorum verborum, cui constanter Grenadierii in atrio et in scala servierunt, locatis etiam ad terram suis sclopetis; natione est Austriacus et Capitaneus primum in legione Eugenii Ducis Sabaudiae, magni illius Herois, eique percharus. Eundem hunc comitem, ut quaedam nova impressa extranea habuere, vulgus alterum Eugenium nuncupavit. Deus det, ut ei simillimus fiat. Certe in expeditione Bavarica felix fuit.

22. Decembris et 23. ex altera parte Danubii multi equites nostri, me quoque vidente, in Austriam superiorem ascenderunt. 23^{tia} Comes de Kevenhiller in sacristia Missam audivit, cum aliis plurimis militibus nobilibus.

24^{ta} Decembris vel pridie, naves pro fabricando ponte sursum per terram avectae fuere, cum quibus multi milites nostri abierunt. Item tormenta bellica hodie advenerunt. Iterum hodie in sacristia Kevenhiller,

Comes Palvi et alii Missae interfuere. Quidam rusticus huc ad Kevenhiller ex Austria superiore venit, eumque hortatus est, ut cito sursum cum suis veniat, seque cum fere 4000 rusticis ipsi adstiturum. Hunc Comes pecuniis donatum remisit, et paulo post insecutus est.

25^{ta} Decembris ipsa Nativitate D. N. Comes de Kevenhiller audita S. Missa et sumpto prandio per postam cum suis versus Austriam superiorem, me vidente, recessit, quem Deus cum suo exercitu omnibus modis benedicat, et victorem salvumque reducat, devote hic confessus est apud nos et S. Synaxim recepit, quod et multi milites sui fecerunt. Eodem die tormenta bellica numero circiter 20, eorumque directores Mellicio sursum ascenderunt.

26^{ta} et sequentibus diebus usque ad diem Epiphaniae plurimi currus cum farina in doliis, foeno, paleis, et avena Mellicium, S. Hippolytum, Ipsum, Amstetten aliaque loca attigerunt, in usum et necessitatem nostri exercitus in Austria superiore contra Gallos et Bavaros pugnaturi. Diebus 28, et 29 ipse ego, in itinere versus Viennam constitutus, 200 forte et amplius ejusmodi currus obvios habui.

28^{va} Ego Viennam in causa Reginae abii, primum in prandium divertens in arce Kreuspacensi, inde volens abire ad Monasterium Campililiense, inde P. Chrysostomum Hanthaler mecum Viennam in causa sibi nota abducturus. Verum Kreuspaci e Praefecto intelligens, dictum Patrem jam tertia Dominica Adventus cum D. Spannagel, Bibliothecae iRegiae custode, Viennam petiisse, ibidem per noctem mansi, postea die inde discedens, Viennam sub vesperam feliciter attigi, et negotium meum, ob quod eo contendi, cum P. Chrysostomo, D. Spannagel, et D. de Knor egi, eoque confecto ad Monasterium reversus sum, 3. Januarii 1742. Prima Januarii 1742 Viennae existens intellexi, cursorem publicum, a Kevenhillero, exercitus nostri duce supremo, ad Reginam missum, eodem die nuntium eidem attulisse, quod Styra urbs et Ensium a nostris denuo recuperatum fuerit. Porro domum reversus, speransque, me omnes particularitates captarum istarum urbium cogniturum, nihil certi et explorati e nostris cognovi, nisi quod noster D. Abbas e litteris a D. Abbate Seittenstettensi ad eum scriptis mihi narravit inter cetera, Gallos in Austria superiore existentes a Comite de Kevenhiller petiisse, ut ipsis liberam facultatem ex Austria superiori discedendi concedat, quod tamen dictus Comes eis denegavit dicens, si vellent se dedere tamquam Prisoniers de guerre, se ipsorum petitioni consensurum, quod tamen ipsi hostes facere noluerunt. Unde usque ad diem 7. Januarii nihil certi rescivimus, quid fecerit et Comes praedictus, et hostes, quamvis dictum sit, hostes Lincii se velle fortiter defendere. A triduo multa glacies in Danubio, et satis notabile frigus. Item multam supellectilem argenteam, quam D. Abbas Cremifanensis in Styriam securitatis gratia ablegavit, Regina nostra iussit afferri, et ut audio, ad Münzbank adduci, ut conflatur in pecunias. Item Regina a Monasterio petiit denuo, proh dolor! 30.000 florenorum, et ut mihi dictum, venerabilis conventus

consuluit, ut Dominus Abbas ejus petiti remissionem deprecetur, et si impetrare non potuerit, nostram mensalem Silber-Service vel vendat, vel eidem porrigat. Expecto, quid in hac re futurum sit. Item quod Regina ab aliis Praelatis ingentem summam pecuniarum petierit, etiam ab iis, qui ab hoste passi sunt.

31. Decembris exercitu nostro in Austria superiori Styrae et Ensio separatim appropinquante, hostes utrumque locum eodem die deseruere, multis eorum in fuga a nostris passim captis, partim occisis. Ensii hostes pontem a se constructum et in capite ejus versus Austriam inferiorem egregie munitum, factis ante eum Wolfsgraben, in habitu suo, qui nocte contigerat, tribus in locis incenderunt, sed ignis a civibus supervenientibus extinctus fuit et nostri pontem Duce Palfio transmittentes in Ensium feliciter ingressi sunt, repertis in eo aliquot parvis tormentis, et ultra centum infirmis et Officialibus bellicis hostilibus. In Monasterio Cremifanensi ultra ducentos equites cum eorum tribunis nostri ceperunt, et D. Menzl Efferingam occupavit, captis ibi 500 Gallis, ac ipse supremus copiarum Dux Kevenhiller Lincio cum reliquis copiis appropinquavit, urbemque sibi dedi postulavit binis vicibus, prima vice responderunt hostes (inter quos praecipue erant Segur, Gallicus Generalis, D. Minuzzi, Bavaricus Generalis, et quidam Princeps Hohenzollern) se excessuros tota Austria superiore, si ipsis honorifice cum omnibus discedere licuerit, et secunda vice respondit Gallicus Generalis, si sibi cum suis Gallis licuerit abire, cum Bavaris faceret, quod vellet. Kevenhiller autem respondit, se neque de Gallis neque de Bavaris, sed tantum de Reginae nostrae hostibus scire se velle, ac proinde se non consensurum iis abiturum, nisi omnes sese pro captivis belli dederint. Hostibus autem eam conditionem acceptare nolentibus urbs deinceps obsessa est. Haec e binis litteris e castris nostri exercitus in Austria superiore transcripta fuisse, quarum ultimae 4. Januarii datae fuerunt. Scriptor ultimarum litterarum, quas e castris dedit Ipsum ad Dom. Meringer, mercatorem, inter alia nuntiavit, ab exercitu Ensium fluvium fuisse tribus in locis trajectum abque gravi incommodo, quamvis hostes contra eos jaculati sint, et de equitibus 6 Dragoner, de Hussaris vero 13 in dicto fluvio ex incuria submersos fuisse. Addidit, nos Lincium formali obsidione cingere necessario debere. Praeterea multis incommodis milites nostros affectos fuisse, cum saepius sub dio pernoctare debuerint, id tamen cum gaudio eos fecisse, dummodo rebus Reginae nostrae eo modo consultum fuerit.

3. Januarii a Bohemico nostro exercitu salvus Dux Magnus Tusciae et Lotharingiae rediit.

4^{ta} Januarii: nostri Croatae adjuti ab Hussaris apud Pisek quatuor cohortes Grenedirorum hostilium in frusta concidere, in vita relictis duobus capitaneis et 26 gregariis militibus, qui vitam sibi condonari petiere. Saxones in Moraviam tentant intrare, quibus obviat cum suis Princeps Lobkowitz, utinam et illos vincat! Haec e novis Viennensibus.

Monachio scriptum, Ducem Bavariae, quem Regem Bohemiae vocant, Monachium rediisse e Bohemia 5. Januario.

6^{ta} Januarii. Welsii in Austria superiori ist das Haupt-Quartier nostri exercitus. Baro de Bernklau, General Feld-Wachtmeister, a Comite de Kevenhiller missus, ut eriperet hostibus das königliche Salzkammergut, 3. Januarii exiens e Gemunda cum quatuor cohortibus Granadirer, et post se missis 300 militibus locum Ischl statim occupat, captis in eo loco hostibus 468 et 4 tormentis eorumque Praefecto Marquis de Gravisi post aliqualem eorum tergiversationem, quos omnes in Styriam misit. Idem Bernklau statim invasit Bavariam, et in Bram et Magazinum occupat continens 1500 modiorum tritici, dein capit oppidum Ried, et in eo existentes milites desultores 138, cum multis officialibus captivos belli facit, die Land Miliz aber aus 300 bestehend abjectis armis auf fugit. Item Baro de Trenk cum suis Banduris occupat die Clausen, Windischgarsten et Monasterium Spital, in quorum primo loco 132, in secundo 250, in tertio 417 existebant milites, quos omnes ipse captivos belli fecit. Item arx Matthausen ad primam explosionem tormentorum nostrorum se dedit nostris cum 66 militibus, et uno capitaneo, et locum tenente.

7^{ma} Januarii. Dux Menzl civitatem Scharding primo statim aggressu cepit, postquam praesidium ejus, quod per capitulationem libere exire de loco volebat, nec tamen a Menzlio obtinebat, fuga se subduxit, multis tamen in fuga trucidatis. Ita nostri liberum in Bavariam trans-Oenanam transitum consecuti sunt, quem locum etiam obtinere jussit Comes de Kevenhiller a Barone de Bernklau cum duabus legionibus peditum et 1600 Warasdinensibus. Scriptum in novis Viennensibus, unde haec excerpseri, iam nos habere 2000 captivos hostes, qui mittuntur omnes in Styriam. In iisdem novis dictum fuit, captos hostes parum benigne a nostris tractari, eo quod ipsi nostros Austriacos vehementer afflixerint et presserint. Quidam nomine Franciscus Herickl ex exercitu nostro supra Anasum sito 7. Januarii inter cetera mox memorata Welsio scripsit nostro P. Francisco, Parocho Mellicensi, quae mihi plurimum placuere sequentia formalia: Wer soll nicht alles Gute von der Armee hoffen, wo der Gemeine alle Lieb und Vertrauen hat gegen den commendirenden Feld-Marschall; alles thuen sie mit grösster Freud, und hört man nicht das mindeste Murren, ob sie schon diese grosse Kälte aushalten müssen, und Tag und Nacht marschieren.

Die 17^{ma} Januarii venere Mellicium multa majora tormenta bellica, et Mörser Vienna pluribus equis etiam e stabulo regio 90 adhibitis ipsius Reginae jussu huc adducta, et magna celeritate ad exercitum nostrum in Austriam superiorem, petente Comite de Kevenhiller, transvecta fuere ad obsidendam et expugnandam urbem Lincensem, in qua hostes existentes hucusque se noluerunt tradere captivos. Magnus horum equorum numerus stabulatus est ad modicum tempus in Monasterio

nostro absque impensis. Item Hungari e legione Palfiana hic transire pergentes ad exercitum nostrum in Austriam superiorem.

Die 19^{na} venit ad me noster postae Magister, et laetissimum mihi nuntium adtulit, quod apud Schardingam Baro de Bernklau cum suis militibus, adjuncto et Menzlio, 6000 Bavarorum sub duce eorum Thöring, qui per modum Secours e Bohemia in Bavariam venire, totaliter occiderit, id quod duo Officiales nostri exercitus, qui hac nocte Mellicio Viennam celeriter petierunt, allatis quoque vexillis hostilibus, nostrae Postae Magistro narrarunt. Deo gratias. Item in Viennensibus novis relatum fuit, D. Menzl civitatem Vilshofen occupasse et maximum numerum sclopetorum et vestium Bavaricorum lueratum. Item 500 Galli e Lincio egressi versus Klein-München inciderunt in legionem Sabaudicam seu Eugenianam nostram, a qua 100 eorum concisi, reliqui omnes captivati fuere. Rursum Galli, per pontem Lincensem versus Gallneukirchen pergentes, circiter 2000 a nostris repulsi, et coacti fuere, Lincium remeare, occisis e nostris paucis, ex hostibus vero multis caesis et captivis. Cum dux Menzl in die Nativitatis D. N. apud Comitem de Kevenhiller esset, et ab eo rediisset, D. nostro Postae Magistro narravit, quod ipsum Regina amice salutaverit, et ei gratias egerit, quod tam bene se huc usque gesserit, quod ipse summo gaudio perfusus exceperit, dixitque ad nostrum postae Praefectum, se propterea prae gaudio vix capere posse, et Ambtstadium volaturum potius, quam equitatum. Item mihi dixit, Menzlium obtulisse Reginae nostrae 10.000 florenos ex praedatione facta, verum illa jussit, ut eas ipse servet pecunias, et se ipsum Generalem cujusdam legionis creaturam et omnibus necessariis provisuram.

(Continuatur.)

Die St. Lambrecht Todtenrotel von 1501—1502.

Von Dr. Otto Schmid, k. k. Theol.-Prof. an der Universität Graz.

(Fortsetzung aus Heft 1, Jahrg. VII, S. 176—183.)

16. Juli.

14. Gerulus huius rotule nostra in ecclesia cathedrali sancti Andree apostoli vallis Laentine ordinis diui Aurelii Augustini canonicorum regularium 16. mensis Julii anno quo supra comparuit.

Das regul. Domherrenstift St. Andrä im Lavantthale wurde gegründet 1212 von Erzbisch. Eberhard II v. Salzburg. A. 1786 erhielt es das Verbot, Novizen aufzunehmen, 1796 gieng es ganz ein und 1806 wurden die letzten Bestandtheile des Vermögens dieses Regularstiftes dem Religionsfonde einverleibt. (Vgl. Zunggo 748. Hohenauer 109—111. Wolf 156. v. Zahn, Urkundenb. I, 235. I, 107, 318. 19. 551. 71. Orožen: Geschichte des Bistums und der Diöc. Lavant, 1. Bd. p. XVI.)

17. Juli.

15. P. I. comparuit in cenobio nostri conuentus sanctissimi